



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

cxxxi [i.e. xxi]. Conservatio est influxus causalis, quo res continuat suam
existentiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

hac vicissim potentiam creativam, ergo sicut implicat, illam inesse creaturæ, sic & hanc illi inesse repugnat. Et licet influxus causæ materialis, quem creator supplere debet, sit finitus, est tamen talis, ut non possit suppleri in alio genere causæ, nisi à potentia infinita; sicut etsi concursus, quo concurrat Deus cum creatura, sit finitus, est tamen talis, ut à nulla creatura suppleri possit. Dixi: *saltem principalis*: censeo enim, non repugnare creaturam, quæ obediencialiter elevetur ad instrumentaliter creandum effectum, quem ipsa naturaliter poterat educere, aut ad quem educendum elevari poterat; ad hunc enim virtutem innatam videtur habitura.

XXI. Actio conservativa est influxus causalis, per quem res immediatè ante existens continuat suam existentiam, & quasi continuo fit. Tali influxu res omnes creatæ directè & immediatè conservantur à Deo, juxta illud ad Heb. *Deus portat omnia verbo virtutis suæ*: & per solam hujus influxus subtractionem annihilantur, etiam res tales, quæ de cætero, nequè ab ullo agente

h 2

extrin-

extrinseco violentiam pati possunt, nequē ex se tendunt ad corruptionem ut Angeli, & id quidem perfectioni divinæ potentiaē est adscribendum, utpote semper & omnino rebus omnibus necessaria; licet enim artifico creato maximo verteretur vitio, produceret effectum, qui non possit permanere, nisi ipse continuō circa illum operetur, & eundem quasi fulciat, quia virtus creata operando laborat, fatigatur, redditurquē inepta ad alios pro eodem tempore effectus producendos; non tamen Deo, qui sine fatigatione ad omnia est sufficientissimus. Quandoquē autem res à solo conservantur Deo, nimirum dum pereuntibus, vel non approximatis amplius aliterve impeditis earum causis creatis, ipsaē permanent in suo esse, v. g. ignis B amoto igne A: calor in fornace amoto omni igne &c. quæ conservatio etsi sit educatio, specie tamen distincta est ab actione, quā tales res primò educebantur à Deo & causa secunda simul. Quandoquē conservantur à Deo & causa secunda simul, v. g. calor in fornace, quamdiu permanet in ea ignis; ignis enim sic manens applicatus, utpote causa necessaria, agit aliquid, non

non calorem novum producendo, nec intendendo veterem (suppono enim, tam esse debilem, ut id non possit) ergo conservando veterem.

DISSERTATIO XII.

De concursu causæ efficientis Primæ cum secunda.

I. **D**EVm in omnes causarum secundarum operationes immediatè influere, testatur Scriptura; inquiens: *Sine quo factum est nihil; & qui operatur omnia in omnibus*: sunt enim hæc accipienda in sensu proprio, nimirum de *causare*, propriè dicto, quale non est *causare mediatè*, conservando ipsas causas & causarum causas. Est què influere hac ratione immediatè in singulas creaturarum operationes perfectio simpliciter simplex, spectat què ad perfectissimum Dei in creaturas dominium, non solum, destruendo ipsas causas secundas, aut injiciendo illis qualitates quasdam stupefactivas, sed & per solam concursus immediati, subtractionem posse earum operationes im-

h 3

impe-